NONNULLA DE HOMINUM TEMPERAMENTIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

NONNULLA

DE

HOMINUM TEMPERAMENTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

ADIPISCENDAM

GRAZIADEI HIERONYMUS

TYROLENSIS

PROPONIT

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLVII

JOANNI BAPTISTAE GRAZIADEI

PATRI DILECTISSIMO

IN REBVS PHARMACEVTICIS PRAESTANTI

IN FILIORVM SALVTE TVENDA

EORVMQVE FAVENDA EDVCATIONE

NVLLI SECVNDO

HOCCE TENVE SPECIMEN INAVGVRALE

AMORIS GRATIQVE ANIMI

CAVSA

FILIVS HIERONYMVS

D. D. D.

Omni aevo in hocce terrarum orbe homines celeberrimi peragrarunt, qui artibus mechanico-physicis ex integro dediti die noctuque in ipsis audarunt et alserunt innumera inferendo humanae societati emolumenta; alii qui in literis artibusque ingenuis distinctissimi omnium amore, existimatione et desiderio prosequebantur, quos ipsi reges honoribus donisque celebrando mutuo aemulati sunt; et alii quoque, qui imperium quum tenerent in populos, ipsis jura ac leges dederunt, vel in bello armisque praeclarissimi atque insuperabiles, ruptis inter gentes legibus, ipsos ad pugnas vocarunt, domuere, destruxere, eorumque bona atque divitias, totius mundi terrorem ac admirationem excitando, usurparunt.

Homines istiusmodi, vel aptius istiusmodi naturae divinitates, a natura ipsa peculiaribus tum corporeis tum spiritualibus largiebantur notis, ex quibus a ceteris vulgaribus et inscius primo intuitu rite distinguebantur. Quamplures autem scientiae medicae non solum sed et naturalium omnium cultores huic studio

ardenter vacarunt, ut omnes eorumdem characteres physico-morales primitus sub statu salutis colligerent, subinde illas mutationes sub statu opposito perpenderent, et ex eorum complexu nonnullas observationes, leges nonnullas statuerent, ex quibus ipsorum hominum praecipue tum physicam constitutionem tum animam spectantes eruuntur varietates

Ast vero ut differentiae in ipsis existentes peculiarem physiognomiam ac propriam vivendi facultatem constituant, oportet, ut organis nobilissimis summumque influxum in animalem oeconomiam habentibus nitantur atque tales sint, ne auferre sanitatis statum valeant. Hujusmodi tantummodo differentiae, hujusmodi varietates ab organisationis ac virium vitalium plus minusve modificatis dependentes *temperamentum* jure meritoque efformant, et de quo loquar in hoc primo meae mentis tenui labore Sit mihi venia si non mea exhibeo, sed quae a summis rei medicae auctoribus detrahere potui.

Definitur temperamentum ab eximio scholae patavinae physiologiae professore, «quaedam individualis vitae ratio, et quaedam reagendi facultas, quae a vitae conditionibus plus minusve modificatis pendent, per quas singulus homo proprism habet vitae manifestationem, quae semper cum ipsa organisatione et vi vitali in intima relatione reperitur».

Quotuplex sit temperamenti genus, quaenam ejus origo arduum est; sed nobis statuendum, priusquam

ad expositionem omnium illarum diversitatum quae homines inter se secernere valent deveniamus

Veteres prae primis Hippocratis vestigia sequentes omnia corpora organica ex diversis elementis composita existimabant. Haecce elementa, id est aer, aqua, terra, ignis, nec non eorum combinationes, juxta veterum opinionem, peculiaribus largiebantur corpora viva proprietatibus et ad peculiares ipsa morbos disponebant, ex quibus temperamenti divisiones in *calido-humidum*, *calido-siccum*, *frigido-humidum* et *frigido-siccum*.

Schola galenica e contra admittebat unius ex humoribus cardinalibus id est phlegmatis, sanguis, bilis et atrabilis singulo individuo praevalentiam, phlegmaticum nempe, sanguineum, biliosum aut cholericum, atrabiliosum, aut melancholicum. Astrologi porro ex planetarum influxu, alchemiae professores ex nonnullis corporis humani principiis dependere temperamenti varietates putabant, quomodo mens foecundissima Viessens in sanguinem sale acido abundare videbat, ex quo causam, naturam, omnes temperamentorum variorum notas deducere solebat. Celeberrimi Sthal atque Boerrhaave putabant pariter sanguinem ex diversis componi principiis, ex quorum majori aut minori fermentationis gradu juxta primum, ex eorum excessu, secundo docente, temperamenta exoriebantur. Alii ex humoristis aliam tenuere opinionem.

Omnes istiusmodi doctrinae ab illa eximii Halleri

subrogatae fuere, qui ex vitali solidorum conditione, ab eorum nempe irritabilitatis ac sensibilitatis gradu nec diversa proportione originem ac divisionem temperamentorum desumpsit. Juxta enim auctoris sententiam maxima irritabilitas et maxima sensibilitas temperamentum biliosum constituunt; maxima sensibilitas cum minori irritabilitate sociata temperamentum melancholicum; maxima irritabilitas et minor sensibilitas temperamentum sanguineum, et denique minima irritabilitas cum minima sensibilitate conjuncta phlegmaticum determinat.

Dumas vero originem ac divisionem temperamentorum repetit ex praevalenti alicujus systematis organici, vel sanguinei, vel nervosi, vel lymphatici, vel visceralis energia.

Darwin quoque propriam de temperamentis explanavit theoriam. Ipse vero, notionibus relate ad vires vitales habitis, quatuor temperamentorum genera, *irritabilitatis imminutae* videlicet, *sensibilitatis*, *voluntarietatis et adsociationis adauctae* statuit. In primo textus musculares omnesque sensuum organa propter stimulorum defectum ad quietem componuntur; dum e contra in secundo sensuum motuumque organa propter voluptatis aut doloris incitamenta, uti videre est in primo ebrietatis stadio, exaltantur et ad majorem reactionem disponuntur; in tertio peculiaris voluntaria activitas saepe saepius intuitivis eminenter evolutis facultatibus nupta, ita ut homines hacce temperie

insignili opera admirabilia atque immortalia moliri eorumque famam per totum orbem terrarum extendere studeant, *auctae voluntarietatis* temperamentum efformat, et a summa facilitate, qua in nonnullis motus et sensus habitudinis vim assequuntur ipsique in quamplurimis actionibus atque reactionibus parent, ultimum, id est *adsociationis*, originem habet temperamentum.

Primum, semper Darwin monente, ex sensuum potentiae defectu, alii excessu a norma aberrant. Si ad trutinam revocamus recensitam darwinianam doctrinam, in eam inducimur opinionem, quod ipsa quoque firmis careat fundamentis, ac quadruplex fibrae vivae motuum divisio stricto in ejus sensu considerata ad uberrimum hypothesium campum pertineat, ita ut, hoc duce, aequi ac praevalidi temperamentorum characteres decerni nequeant. Re quidem vera istiusmodi auctoris doctrina potentiarum stimulantium actione penitus suffulcitur, quum in organismo vivo quamplures vitae manifestationes longe ab aliis causis quam excitantibus progignuntur. Insuper si corpus humanum ex duplici substantia, videlicet ex solidis et fluidis componi conspicitur, inter haec perfecta quaedam analogia exislere debet et quaedam mutua relatio, per quam totius animalis oeconomiae integritas sustinetur. Ex hinc facile intelligitur quomodo et liquida et solida sint pariter necessaria ad vitae functiones non tantum solvendas, sed etiam ad eorum normam servandam, et quomodo liquida, quamvis ab ultima origine a solidorum vi di-

rigantur, actionem quoque in solida ipsa ad salutis statum tuendum rite exerceant. Haud dubitandum igitur est, quod potentiae incitantes in solidum vivum agentes manifestas in fluidorum adsimilatione inferre possint mutationes, et contrario quod eadem (fluidorum assimilatio) semel vitiata nonnullas pariter et quidem essentiales alterationes in organica solidorum mixtione concitare debeant. Quare ex hisce a mentis celeberrimi prof. Brera acumine jure perpensis concludebatur, originem atque temperamentorum divisionem ex reciproca solidorum fluidorumque actione atque reactione esse desumendam.

Nos attamen cum eximio prof. physiologiae Lycei magni patavini a schola galenica admissas amplectimur temperamenti varietates, quae juxta illius opinionem ab humorum cardinalium, sanguinis nempe, bilis, atrabilis et phlegmatis praevalentia dependere videntur, unde quatuor exsurgunt temperamenti species: *sanguineum, cholericum, melancholicum* et *phlegmaticum*. Ex hisce quilibet homo aut uno aut altero, aut duobus insimul junctis a naturae sapientia donatur.

Temperamentum sanguineum est procul dubio ceteris pulchrius atque desiderabilius. Homines hoc temperamento praediti faciem plus minusve rubram demonstrant, oculos vivaces, valde formosos, cutis superficiem mollem, delicatam ejusque colorem valde venustum, capillos badios aut castaneos, facile vegetantes, textus satis evolutos et externas formas pulcherrimas; vires vitales,

omnes functiones vitaeque manifestationes maximam possident in hisce energiam; cor atque arteriae valide sed regulariter pulsant, et hoc non solum a majori sanguinis copia sed etiam ab ejusdem crasi dependet, ita ut e vena eductus fere semper crusta pleuritica plus minusve ditescat; respiratio porro, digestio, nutritio perfectae, faciles, regulares; secretiones atque excretiones omnes copiosiores; adest musculorum robur et summa motuum in ipsis agilitas.

Relate ad psychicas facultates notandum est, quod hominibus hocce temperamento excellenti insignitis adhaerent summum ingenii acumen, sensationum omnium externarum internarumque vivacitas, imaginatio fervens, prompta et summopere extensa memoria; hinc facilitas scientias etiam arduas adipiscendi; animi hilaritas, liberalitas, benevolentia et omnes affectus, qui ab amore et quandoque ab ira suscitantur. Fateri attamen oportet quod istiusmodi innumeris qualitatibus tum intellectualibus tum moralibus saepe saepius in hominibus hoc temperamento gaudentibus variabilitas, levitas, animique inconstantia adsociatur. Sed periter ab omnis aevi historia compertum habemus, quod isti homines, quamvis animi motibus et praecipue amore atque voluptatum instabilitati libenter et forsan nimium indulserint, nihilominus, urgente necessitate, animi magnanimitatem, characteris firmitudinem, sensuum internorum sublimitatem, et speciatim eminentia ingenii indubia signa omnibus patefacient

Si de morbis quaestio est, in quos facili negotio incidunt, libenter in eam inducimur opinionem, quod in tanta functionum omnium vitae vegetativae energia, in tanto virium vitalium vigore atque exuberantia, isti semper ad hypersthenicos, saltem in primis vitae studiis, ad inflammatorios fere ex integro pertinent. Reapse praecipue fiunt febres inflammatoriae, synochae, inflammationes omnes organorum cerebralium, pulmonalium viscerumque abdominalium, exanthemata, haemorrhagiae activae, praesertim epistaxis et haemoptysis; in aetatis progressu hysteriasis, convulsiones, mentis deliria, psychopathiae diversae, et serius hypochondriasis et melancholia evolvuntur.

Temperamentum cholericum post sanguineum et quoad vegetativae vitae vigorem et quoad mentis operationes animique motus non tantum aequalem sed superiorem forsitan tenet locum. Istud temperamentum a ceteris sequentibus tum corporeis tum spiritualibus distinguitur notis. Cutis arida et rigida in hominibus hocce donatis superficies colore tingitur bruno in flavescentem vergente, quae hirtis pilis nigricantibusque huc illuc tegitur; capilli sunt pariter rigidi et nigri, oculi scintillantes, flammei, valde mobiles, eloquentes et aliquando feroces; corpus mediocris voluminis valde robustum, et musculi magni et quoque robusti parvaque pinguedine referti; functiones omnes vitae organicae magna cum vi atque celeritate solvuntur; digestio promptissima, unde validum et frequens polus cibique

desiderium atque necessitas; cor et ceterum systema sanguineum fortiter et velociter moventur, unde pulsus frequens, vibrans, et energica sanguinis circulatio ejusque rapida oxydatio propter respirationis alacritatem; calor cutis est pariter debita proportione adauctus. In hisce systema hepalicum quammaxime pollet evolutione; ex qua major bilis secretio, sequena nausea, vomitus et diarrhoeae biliosae; itemque systema nerveum cerebrale est valde evolutum, irritabile atque sensibile Ex hinc functiones vitales hujusce evolutioni atque mobilitati respondens plus minusve excellunt; sensus externi uti visus, olphactus, gustus atque tactus acutissimi adparent, sensus interni pariter summam receptivitatem erga stimulos ostendunt. In individuis hujusce temperamenti magno cum impetu ira, odium, vindicta, ferocia, aliique vehementes animi motus suscitantur, ita ut in nonnullis circumstantiis nimium generosi et temerarii fiant. Praeterea facili negotio in venerem rapiuntur, toto animi ardore unioi amari cupiunt et persaepe crudelissimis suspicionibus excruciantur.

In hisce constantia et fortitudine praeditis judicandi facultas evadit minus dubia, clarior, validior quam in illis qui sanguineo pollent, quamvis sit tardior minusve facilis; quamobrem adnotamus in primis ratiocinium, genium; in secundis promptissima memoria et viva imaginatio etsi etiam in primis haec ultima facultas esse potest fervida, sublimis, sicuti eximii pictores atque poetae hoc temperamento instructi nobis te-

atantur. Ceterae facultates intellectuales maxima ditescunt energia. Ut plurimum homines a gloria et dominandi cupiditate incitantur, impelluntur, audaces concipiunt propositiones, quibus firmi atque indefessi operam dant, ipsasque animosi atque intrepidi alescunt, eorum propter magnanima gesta ex una parte hominum admirationem, ex altera totius mundi terrorem consequuntur. Inter morbos, quibus frequenter afficiuntur homines hujusmodi temperamenti ornati, praeprimis recensentur inflammationes erysipelatosae, hepatitis, gastro-duodeno-hepatitis, gastro-enteritis, haemorrhagiae et haemoptysi praecipue, febres intermittentes, hepatosplen-emphraxis, cephalalgiae, coliose biliosae, spasmi, convulsiones, epilepsiae species, deliria mentia etc. Sub ultimis vitae stadiis hypochondriasi potissimum detinentur, et generatim loquendo, in omnibus vitae periodis maximam ad morbos abdominales dispositionem revelant.

Temperamentum sic dictum melancholicum propriis quoque designatur proprietatibus tum physicis tum moralibus. Homines hocce temperamento insigniti praeseferunt habitum corporis ut plurimum gracilem et macilentum, sed et aliquando athleticam constitutionem omnia signa roboris atque physicae potentiae ostendentem; cutim rigidam, siccam, valde densam, ejusque colorem bruno-flavescentem, oculos nigros micantes, capillos pariter nigros, crassos, robustos; pulsus frequentes, inaequales et parumper profundos, alias e contra

lentos, plenos, vibrantes; systema venosum sat evolutum, arteriosum minus sed summopere renitens, et, teste celeb. Morgagni, massam encephalicam voluminosam ac solidam. Generatim functiones digestionis et respirationis lento et irregulari modo perficiuntur, alias in athleticos speciatim contrarium animadvertitur. In hisce sensibilitas adest maxima et imaginatio inordinata et in nonnullis circumstantiis valde exoitabilia; eminent prae ceteris intellectus functionibus, judicium et ratiocinandi facultas, unde in mathematicis disciplinis summam proclivitatem atque solertiam explicant. Animi voluptatibus, amicitiae praecipue, amori, benevolentiae etc. aut nullam aut paucam habent curam; solummodo a vehementibus animi motibus, ab ira, odio, vindicta suscitantur, et tunc vires vitales omnesque uno verbo vitae manifestationes maximam induunt energiam et strenui, audaces et omnium capaces fiunt homines hocce temperamento praediti.

Quamobrem procul dubio difficilius sanaturae sunt adfectiones, quas ipsi patiuntur, et eo magis propter diversitatem quoad evolutionem systematis arteriosi et venosi, uti superius diximus. Propter circulationis venae portarum segnitiem disponuntur ad congestiones abdominales, ad haemorrhoides, ad varicositates, ad haemoptysim, ad haemorrhagias varias; propter angioidesim ad cephalaeam, ad dyspnoeam, ad oppressionem praecordiorum, ad delirium melancholicum, ad hypochondriasim etc.

Temperamentum phlegmaticum, a nonnulis asthenico-inexcitabile dictum, cujus signa et characteres sequentia sunt: corporis constitutio potius gracilis, cutis mollis, pellucida albescens, lactea et pulcherrima praesertim in feminis, paucis pilis exornata; capilli hodii aut castanei, exiles, tarde crescentes, oculi albo-coerulescentes, languidi, sat protuberantes, facies pallida, rotunda et interdum pinguedine quoque referta, quomodo et ceterae corporis partes laxae, pingues, textusque musculares pariter molles et torpidi; vultus stupidus, vox languida, lingua haud bene expedita adparent. Generatim loquendo complexus omnium tum organicarum tum animalium functionum deficere videtur, uti toto coelo patet ex digestionis difficultate, ex respirationis languore, pulsuum parvitate atque debilitate, ex minori caloris organici gradu, sanguinis tenuitate, totius systematis cerebralis modica massa nervorumque exiguitate et omnium externorum internorumque sensuum atque motuum segnitie. Reapse facultates in hominibus hujusce temperamenti scientiarum naturalium liberaliumque artium culturae atque studio ineptae evadunt, et hoc propter eorum languescentem imaginationem ac lentitudinem memoriae, quamvis haec ultima in nonnullis firma et tenax demonstretur. Si de ipsorum animi affectibus quaestio est, observandum, quod amori voluptatibusque communiter consideratis, irae et odio aliisque vehementibus animi motibus potissimum difficiles sunt, et, uti dicam, juxta habitudinis vim vitam agunt. Hoc

temperamentum in feminis potius praevalet quae formosis physiognomiae lineamentis plerumque exornantur. Inter haec recensetur lactea et tenuissima cutis, subtiles capilli, pupillae dilatatio, languida sed penetrantia lumina, vultus exprimens, suavis, pulcherrimi artuum circuitus, voluptuosae angularitates, pectus bene evolutum, ipsique insident mammae convergentes, turgidae, elasticae, uno verbo omnium partium advertuntur in hisce elegantissimae formae. In tanta rerum venustate tamen feminae istiusmodi haud facile homines amore prosequuntur, libidinis stimulis haud infrequenter moventur, deceptorumque insidias diu reluctantur.

Relate ad morbos, quibus saepe saepius afficiuntur, fere omnes illi ad asthenicos stricto sensu consideratos vel ad nervosos demandantur, uti essent: paresis et vera paralysis, amaurosis, haemorrhagiae passivae, vesaniae ex debilitate cerebri nervorumque exortae, fatuitas, stupiditas, imbecillitas; et illi qui a torpore virium digerentium dependent ex. gr. dyspepsia, anorexia, alvi stipsis, helminthiasis, saburrae diversae et mucosae prae aliis; in feminis ad leucorrhoeam, ad abortus facilitas; in viris celer senectus una cum mentis infirmitate explicantur

Observandum denique venit, quod quamplures sunt difficultates quibus medicus obviam concurrit dum de alicujus temperamenti praesentia aequum statuere judicium autumat. Sunt homines nonnulli, qui neque ab

eorum nativitate robustam physicam constitutionem praeseferebant, qui in humano consortio omnium laetitiam, festivitatem efformabant, et absque ulla nota causa tristes, debiles, melancholici facti sunt. Feminae jam antea hilares, tranquillae, omnium amor atque existimatio propter eorum leporem, spiritus amoenitatem, mentis culturam, ex tempore insuditam subeunt metamorphosim, tristibus curis obruuntur, pallescunt, timent, facillime turbantur, agitantur, irascuntur, et interdum insaniunt. Praeterea in historiis medicis referuntur hominum casus, qui dilectos inter sodales ridebant et cantabant, laetitiaque fremebant, inter proprii cubiculi parietes gravi detinebantur moerore.

Ex hisce palam fit, quod aetas, clyma, tempestatum aerisque vicissitudines, potus cibique, tum physica tum moralis educatio, amor ceterique animi motus, vitae genus, morbi ipsi, omnes uno verbo externae internaeque potentiae ad temperamentorum originem atque mutationem summopere contribuunt, et quod quisquis homo non uno tantum temperamento perfruitur.

THESES DEFENDENDAE

I

In inflammationis cura opiata non spernenda

II

Hydrops phlebotomia interdum curatur

III

Morbi quamplures abstinentia et quiete sanantur

IV

Nil magis prodest aegris nonnullis quam medentis opinio

V

Nutritio aliquando viget in partibus paralyticis, quamvis paralysis per annos perduret

VI

Scialadenitis prae ceteris morbis inflammatoriis nisum in metaschematismum ostendit

VII

Periodicitatis lex in medicina adhuc mysterium

VIII.

Abortus quocumque sub respectu numquam provocandus.

IX.

Diagnosis morborum non a causarum notione tantummodo eruenda.

8
Sil